DISSERTATIO MEDICA 24

INAUGURALIS

DE

FEBRE FLAVA HISPANIAE.

AUCTORE THOMA M. FOGO.

PRAEFANDA.

Aegrotatio pestifera, quae inter paucos annos tantam stragem in nonnullis provinciis Hispaniae fecit, multis disputationibus de ejus natura et origine, causam dedit.

Febris, tale malum in iis locis, quibus grassata est, evasit, ut omnes soliciti fuerunt ejus naturam reperire, et aliquem modum instituere, si non renascenti occurrere, saltem effecta nimis lethalia ejus sublevare.

Huic rei vehementer optandae, haud parum obstat magna dissentio inter medicos de natura ejus contagiosa, qui hujusmodi disputationibus nimis forsan impliciti, rationes quibus felicius mederi possit, haud ex aequo prosecuti sunt.

Cum exercitui interfuissem, dum haec febris obtinuit anno millesimo octingentesimo decimo tertio Gadibus, et multas occasiones eam videndi, non solum in nosocomiis nostris militaribus, sed etiam inter cives habuissem, de ea disseram ut tunc accidit, sine prolixa enumeratione variarum opinionum ab auctoribus de ea receptarum, quod me a proposito averteret, et praeterea in controversiam me duceret, quam evitare solicitus sum.

HISTORIA.

Gades, aliquo morbo pestifero, quadraginta circiter annos exempti fuerunt, quando unus

valde mortalis, ibi, in autumno anni millesimo octingentesimo, post aestatem maxime mutabilissimem, comparuit. Contagio, navi bellica quae ab America Australi advecta erat, hoc tempore, existimata fuit advehi; et per hanc scaturiginem, indigenae semina morbi communicata fuisse putant. Quando primo apparuit, febrem biliosam esse consuetam duxerunt, quae sub idem tempus usitate existit, donec gravis strages ab ea edita, eos, quum nimis sero, errorum suorum admonuit.

Febris se inveteraverat antequam veram ejus naturam perspexerunt, et quotidie mirum in modum increverat: multi, typum pestiferum negando, et imprudenter seipsos ad ejus impulsum objiciendo, cito e vivis erepti fuerunt. Ita rapide disseminabatur e domo in domum, et vico in vicum, ut pauci ejus insultum evaderent; et quando aliquam in familiam ingrediebatur, raro unicus tantum afficiebatur, plerique, plus minusve, ab ea passi sunt. Haec rapida propagatio eam esse contagiosam luculenter evincere videtur.

Natura pestifera hujus morbi magis illustrata fuit, in ea, quae Calpe (hodie Gibraltaria vocatur) anno millesimo octingentesimo quarto occurrit :—ex quatuordecim millibus non militantibus, viginti octo solummodo incolumes evaserunt.

Habitatores oppidorum pagorumque in quibus non cautum erat, fugientibus admissis a Gadibus, febre ejusdem typi impliciti, quae, iis qui nuper se illis conjunxerant, indagabatur, dum ea loca, in quibus cautio habita erat, et corona militaris dierum quadraginta propter salutem stricte observata erat, ex toto salubria manserunt, quamvis etiam ad urbem Gades propiora, quam multi pagorum qui afficiebantur, clare ostendunt, quod ubi communicatio cum morbosis prohibita fuit, nulla febris symptomata videbantur, dum ejus introductio semper ad veram originem investigata est, nempe, contagium fugientibus allatum ab locis affectis *.

* " Pues al paso que Cadiz se veia devorado, par una fiebre de mucha gravidad y conseqüencias, los pueblos im-

Quomodo haec febris, anno millesimo octingentesimo decimo tertio invecta fuit, nunquam clare intelligebatur, ni fallor; sed eadem incredulitas medicorum Hispanicorum, et eorum, qui sanitatis concilium constituerunt, hac occasione ut priore, haud minus forsan prophylaxi obstabat.

Argumentum, ut ex miasmate paludum oriretur, profecto absurdum esse videtur. Gades, quamvis rupe elevata et terra sicca siti, et procul paludibus, hoc morbo correpti fuerunt; dum urbs Sanctus Ferdinandus, tantum septem mille passuum Gadibus disjuncta, et fere paludibus circumdata, incolumis evasit.

Febris, ineunte Septembro, inter cives, et paulo post inter copias Britannicas, in casis degentes, juxta urbis portas ad campum spectan-

---

mediatos no padecian semejante azote, y solo empezaron a sufrirlo, quando la afluencia de los emigrados de Cadiz transplantó a ellos el germen de contagion."

Dissertación Medica sobre la Calentura maligna contagiosa, que reynó en Cadiz el año de 1800, por Gonzales, p. 24.

tes, comparuit: maligna ejus natura illico confirmabatur, pluribus militibus, aut aliis, qui exercitui pertinuerunt, post aegrotationem aliquot dierum, demortuis. Rationes efficacissimae protinus initae fuerunt, quibus, magna ex parte, clades imminuta quae denique evenit, cum aliis temporibus comparata, attribui debet. Inter incolas tamen alia causa aliquatenus penderet; quum eorum multi, morbum, dum antequam extitit, habuissent, a secundo insultu incolumes fuerunt. Haec res quidem illis tam firme credita fuit, ut muneribus parentum, aut propinquorum, aut amicorum ita assidue perfungerentur, quod nunquam accidisset, nisi sibi ita persuasissent; nec repertum est aliquos periisse.

Mulieres, generaliter notabatur, aeque ac alter sexus, non plectabantur; et haec observatio medicis Hispanicis, toties quoties febris se monstraverat, facta fuit; quamvis enim foeminae multo magis numerosae viris, anno millesimo octingentesimo decimo tertio, fuerunt, certe, earum numerus, quae e vita ereptae fuerunt, non adeo magnus fuit.

Homines extenuati, et ii, quorum compagines, morbis prioribus aut pravis moribus, labefactae fuerunt, gravius quam robustiores aut abstinentiores, molestati fuerunt; et in plenis vel plethoricis, febris fere sub forma gravissima grassata est; nec repertum erat eos, sub hydrargyri actione alios ob morbos, exemptos fuisse.

Hoc morbo apparente, ei quamprimum obstandum est, nam si permittatur progredi, tempestatis frigidae adventus invenietur expulsor ejus unicus, ut adhuc semper repertus est.

In iis locis, quibus pestis pro aliquo tempore extitit, notatum est, quando in aestate thermometrum supra centesimum gradum Fahrenheitii surgit, ut in Aegypto accidit, contagium evanescere, quod ostendit frigoris aut caloris nimium, suam virulentiam perimere.

Nosocomia hac febre laborantibus, et valetudinaria, ubi adest morbi suspicio, sub legibus rigidis *Quarantine* dictis, obligari debent, nam boni effectus qui ex hoc profluxerunt, anno millesimo octingentesimo decimo tertio Gadibus,

eum esse consilium magni momenti et efficacitatis evincit. Quando proximum est mare, omnes frequenter innatare, aut contra saepissime uti oportet balneo pluviali vel aliis modis. Vestimenta eorum, qui mortui sunt, bene lavari et fumigari, aut potius in cineres redigi debent, constat enim ut contagium communicare possint.

Medici, qui hanc febrem remittentis biliosae speciem, aeque ac qui typhi graviorem, habent, vehementer falluntur, inter eas dignoscere haud enim difficile est; hinc, morbum esse sui generis colligere liceat.

Exempla quae supra memoravi clare ostendunt febrem esse contagiosam: profecto mihi persuadetur contagio specifico propagatam, et defectu munditiei aut ventilationis fotam esse; nec talis persuasio absurda apparebit, quando fere universaliter confitetur, ut omnes febres typum contagiosum assumere possint, et eae nostri climatis ita evadant, munditiem negligendo.

Quia synocha hujus morbi comes est, medici contagiosam esse negaverunt; hoc autem con-

cesso, haud consequitur ut res non ita se habeat, nam febris cum variolae tum catarrhi contagiosi, hac indole est: haec proclivitas autem in rubeola praecipue illustrata est, et nemo hodie adeo audax est, ut deneget contagio allatas esse.

DE SIGNIS.

Febris, de qua agendum est, modo derepente, alias, sed raro, tarde et sensim adoritur. Fere semper incipit e virium tanto languore, ut anima defectura videatur; aliisque notis, quales plerasque febres ineuntes praedicant, nimirum, lassitudine, horrore, &c.

Aeger sibi frigere videtur, aut apud dorsum, suras, aut ubique corporis. Dolor constringens capitis vehementissimus, praesertim frontis, temporum et orbitarum oculorum, accidit. Summa anxietas quasi circa praecordia vexat, quae

porro manu pressa dolent. Sitis vehemens vix sedanda adest. Lingua, quamvis primis diebus munda et humida, versus diem tertium, sicca et aspera evadit, et saepe linea subfusca in centro vel utroque latere apparet. Nonnunquam sapor est in ore amarus. Abdominis dolor plerumque urget, cui alvus astricta, et aliquando praeter naturam soluta, cum dejectionibus biliosis, evenit. Pulsus plenus, firmus, et concitatus ab initio, raro infra centum in horae sexagesima parte est. Oculi tetrici et ebriosi, et facies florida, interdum apparent. Haemorrhagia e gingivis, fere circa diem quartum, se ostendit, quum pulsus debilis, inordinatus, et aliquando abnormis evadit. Nausea aegro summam molestiam praebet, et vomitus materiae biliosae, et ingestorum prius receptorum, supervenit. Singultus. Urinae parva copia, fere limpida, interdum turbida, demittitur. Corporis color subflavidus, primo in oculis, et lateribus colli, versus diem quartum aut quintum, se ostendit, et gradatim per corpus extendit. Urina ruber-

rima evenit. Vomitus in provecto stadio, materiae grumosae similis coffaeae sedimento, accidit. Petechiae nigrae, aut maculae lividae per cutem sparsae, interdum, sed raro, videntur. Pulsus exilis et pervagus evenit, vix sentiendus. Ingens est anxietas, molestia, inquietudo et jactatio capitis, brachiorum et crurum, cum summae molestiae signis. Omnia haec, sine mente aliena saepe apparent; sed delirium, aliquando ferox, nonnunquam mite et mussitans, vel coma, vel convulsiones hoc tempore aggrediuntur. Facies fit purpurea aut livida. Sphincteres relaxantur, cum dejectionibus nigris aut sanguinolentis, aut urinae emissione, sanguine tincto; vel haud raro, alvus pertinaciter astricta, nec sine ope solvenda, et urina prorsus supprimitur, sine pube tumefacta, vel etiam desiderio vel cura eam reddendi. Hoc ultimum signum in exemplis mortiferis saepe adesse observatur. Extremitates fiunt frigidae, cum odore corporis cadaveroso, et aeger infelix circa diem septimum mortalitatem explet.

Non omnia haec symptomata in singulis casi-

bus infauste desinentibus, multo minus omnibus in exemplis febris redeuntis, semet ostendere expectandum est; nam multa eorum signa solita febris cujusvis provectae tantum, nonnulla unum vel alterum signorum infaustorum exhibent; dum plurimi aegri post quaedam ex his conjuncta convaluerunt; et, contra, aeger saepe, quando nulla symptomata talem eventum praemonebant, morti succubuit.

CADAVERIS SECTIO.

Cerebrum prorsus sanum et naturale, ut videretur, saepissime reperitur: interdum meninges lene inflammantur, aut vasa sanguine praeter naturam tumuerunt, aut lympha coagulabilis in superficiem ejecta reperta est. Aliquando fluidum ventriculorum augetur, et interdum serum inter meninges et ad basin cerebri effunditur. Nonnunquam parvae extravasationes sanguinolentae, et quibusdam in exemplis, maculae gangraenosae in superficie detectae sunt.

Pulmones interdum inflammati reperiuntur, sine ullis signis pneumonicis praecedentibus.

Hepar saepe mutatum et modis valde diversis deprehenditur; aliquando est rubrum, et multum sanguinis continet; interdum ampliatum, et nonnunquam minutum quod ad molem; aliquando colore cinereo pallido, et saepissime sanum et naturale detegitur.

Vesica fellis, tunicis densatis, et bile viridi aut fusca plena, sed aliquando inanis, reperitur.

Cor fere semper sanum est.

Intestina et omenta nonnunquam inflammata, interdum gangraenosa, et saepe naturalia, inveniuntur.

Ventriculus plus minusve inflammatus deprehenditur: maculae rubrae aut lividae per eum sparsae videntur; eae fere circa cardiam numerosissimae sunt. Pars inferior oesophagi, et initium duodeni, pustulis quasi a ventriculo tendentibus, saepe obducuntur. Ventriculus copia fluidi fusci vel nigri, deorsum in duodenum manantis, frequentissime impleri, detegitur; hoc

fluidum, quoad colorem, simile est materiae ante mortem vomitu ejectae.

DE CAUSIS.

Ex iis supra dictis, hunc morbum a contagio oriri, et effluvia, e corpore laborante, emissa, propagari, mihi persuadetur. Causae, quae corpus huic febri obnoxium reddunt, esse videntur, quaecunque corpus debilitent, sicuti, intemperantia omnigena; diaeta parca aut parum nutriens; aër impurus; affectus animi deprimentes; morbi praeeuntes; status aëris peculiaris, nam quando Eurus diu duraverat, notabatur plurimos hac febre implicitos fuisse. Plethora, sine dubio, causa praedisponens habeatur; nam inter homines plethoricos maxime grassata est, et valde lethalis semper evasit.

DE DIAGNOSI.

Ad initium, hic morbus aliis cum febribus confundi potest, rigoribus enim aliisque febrium signis fere incipit, sed vix in progressu.

Febris de qua agendum est, a multis, remittentis biliosae speciem esse habetur, sed valde diversae sunt; nam remittens paulatim fere accedit, et saepe diu manet, cum remissionibus et exacerbationibus satis evidentibus; dum febris flava Hispaniae aliquando subito adoritur, saepe celeriter ingravescit, et intra definitum tempus terminat.

Bene notata est febrem flavam nunquam induere speciem vel remittentis vel intermittentis, nec formam sibi propriam mutare; et quod insigne est, (si iis affinis sit,) nec eam viscerum obstructiones nec hydropes sequuntur.

Dubitandum est, an remittentes aut intermittentes unquam prodierunt sine miasmatis palu-

dum impulsu ; sed haec, procul a paludibus, et sine miasmatis accessu, oritur ; hinc ab his, hic morbus adeo differt, ut eos affines esse, vix, ac ne vix quidem, deducere possumus.

Semel tantum in decursu vitae aliquem afficit, quod, a febre flava ut in India Occidentali grassatur, maxime distat.

Typho, multis in rebus, haud absimilis est, quin incipit cum corporis incitatione, cui summa virium prostratio supervenit ; nec in iisdem temporibus tamen, nec regionibus apparent ; nam typhus in regionibus frigidis humidisque maxime viget, rarius in calidioribus ; dum febris flava Hispaniae semper ad finem aestatis vel autumni initium sese ostendit, et dum tempus frigescit, gradatim evanescit : hinc, gradu caloris certo opus est, ad contagium hujus morbi propagandum ; nunquam enim, quantum scio, ultra latitudinis septentrionalis quadragesimum gradum viguit. Plethoricos etiam saepe et gravius afficit, quod in typho aliter notum est.

Signa huic propria sunt, vomitus materiae grumosae coffaeae sedimento similis, haemor-

rhagia e gingivis, et flavedo cutis, quae primo in oculis se ostendit, et gradatim per universum corpus sese diffundit; quamvis enim hoc ultimum indicium in quibusdam aliis morbis apparet, non iis proprium existimetur, sed in hac febre semper adest.

Quum febris epidemica grassatur, cum signis supra dictis, et sub iisdem conditionibus, de ejus natura vix locus est dubitandi.

DE PROGNOSI.

Prognosis hujus morbi cum summa cautela danda est. Quando capitis dolor non maxime urget; lingua humida, munda, liberaque ab crusta subnigra, perstat; alvus soluta, et faeces coloris subflavi; pulsus moderatus; corporis calor haud multum praeter naturam surgit, et cutis mollis, cum diaphoresi leni obducta; oculi, colore subflavido, leniter suffusi circa diem quartum aut quintum, qui corporis omnes par-

tes gradatim pervadit, et nisi nausea et vomitus adsunt, exitum felicem sperare licet.

Contra, quum capitis dolor aegrum graviter vexat; pulsus maxime inordinatus, debilis et abnormis fit; functiones turbatae; cutis sicca, et calor ingens morbidus; lingua immunda, et crusta subnigra obducta; alvus pertinaciter astricta, aut materiae faeculentae nigrae vel sanguinolentae dejectio; urinae suppressio; totius corporis color aureus; singultus; respiratio difficilis; petechiae nigrae, aut maculae lividae; vomitus materiae grumosae similis coffaeae sedimento; dolor circa praecordia ingens; sudores frigidi, profusi et viscidi; prognosin faustam non licet nobis proferre.

Omnium signorum recessio ita subita, morbo ineunte, ut aegrum, caeteris paribus, integrum relinqueret, malum indicium haberi debet; nam nonnulla signorum gravium, plerumque huic remissioni fallaci supervenerunt.

Tendinum subsultus; coma; sphincterum relaxatio; maculae lividae per corpus sparsae, aut petechiae; extremitates frigidae; odor corpo-

ris cadaverosus; mortem in propinquo declarant.

DE MEDENDI RATIONE.

SUMMA medici attentio ad ventilationem adhibenda est; hac enim neglecta, omnes futuri conatus, magna ex parte, frustrati erunt. Aeger protinus in cubiculum spatiosum, per quod aër liberum transitum habet, admovendus est, et cubilis lodices leves superimponendae sunt. Supervacuum est dicere, summam munditiem prorsus necessariam esse. Vestimenta ejus statim removenda sunt, et in cineres redigenda, ut iis contagium non propagatum sit; et totum aegri corpus aqua et aceto bene lavandum est: hoc, calorem febrilem, et capitis dolorem, semper ita prementem, minuere haud multum non adjuvat.

An venaesectione uteremur, hoc consilio, talem litem praebuit, qualis nunquam fere medi-

cos exercuerit, post philosophorum mathematicorum et chemicorum tempora.

Aliqui medicorum venaesectione usi sunt, omnibus in exemplis, quam febris synocha, et impetus sanguinis auctus, versus caput, postulabant, et cum bono fructu, ut aiunt. In India Occidentali, sanguinis missio valde celebranda est, et librae quinque, prima, et tres, detractione secunda, eodem die, haud raro missae sunt.

Si hoc depletionis genus tantas laudes bene meruisset, quantas ejus fautores ei attribuerunt, mirum est quod aliquis adhuc repertus, qui ejus usum vituperet; quinetiam in India Occidentali, multi habiles et gnavi medici sunt, qui etiamnum remedium esse ineptum existimant.

Alii etiam, hanc febrem longe aliter respiciunt, et nec febrem synocham, nec impetum sanguinis auctum, versus caput, autumant depletionem desiderare; solummodo ut typum typhi graviorem habent, coelo variatum, itaque alio modo morbum debellant. Utrumque strenuos propugnatores habet, qui suas medendi rationes summis laudibus extulerunt.

Si tales enarrationes, ea fiducia, qua in lucem editae sunt, accipi possint, haud multum humanum genus expetere, aut medicos proponere, haberet, ad hunc pertimescendum morbum cohibendum ; sed auctores hujusmodi magis soliciti, suas diversas medendi rationes sustinere videntur, quam exempla suppeditare, a quibus consilium medendi aptum institui possit. Infelicissimum est, quando medici ut in arenam descenderent, et tam iratis animis, de lana caprina contenderent, dum rem gravem omnino negligunt ; et etiam alios, consecutiones praestantissimas inferentes, absterrent, metu utriusvis factionis in opprobrium incurrendi.

Quatenus depletio tam magna exigitur, hi solummodo qui morbum viderent, judicare possint.

Febris synocha haud parva, sine dubio, aeque ac impetus sanguinis auctus, versus caput, morbo ineunte, plerumque existunt ; nec denegari potest, quin exempla obveniant, in quibus necessaria est venaesectio, sed ea perrara sunt. Debilitas, quae naturaliter tali incitationi superve-

nit, plurimis in exemplis, a sanguinis detractione absterrere sat est, ne vis vitae ita deprimatur, ut omnes futuri conatus eam reficere frustrati forent. A minimo fructu, qui ejus usum Gadibus comitabatur, aeque ac a febris natura, eam aliter quam auxilium cum summa pernicie refertum, intueri non possum, (praesertim si in omni casu adhibeatur,) nec ejus usum commendare, sed cum maxima cautela, et solum ad signa urgentia mitiganda.

Missio sanguinis topica tutius quam generalis peragatur, et sine periculo debilitatem inducendi. Hirudines sex vel decem temporibus applicatae, cum cucurbitula postea, tantum sanguinis detrahere poterunt, quantum sufficit, plethoram localem sublevare, aut vasis cerebri congestionem prohibere. Cucurbitulae cruentae hoc consilio quoque admovendae sunt.

Applicationes frigidae, sicuti murias ammoniae cum aceto, vel murias sodae aqua commistus, aut aqua gelida simpliciter, repetitae, capite raso, arteriarum actionem moderare, et capitis dolorem minuere, valeant.

Apud initium, purgantia ita adhibita, ut dejectiones duas tresve plenas, intra primas horas viginti quatuor, moveant, utilissima sunt remedia in febre minuenda ; veluti, submuriatis hydrargyri grana decem in pilulas formanda : et si haec non bene respondeant, cum extracti colocynthidis compositi granis quinque decemve conjungenda, et donec alvus soluta fiat, repetenda sunt. Clysmata emollientia subinde injicienda sunt, a materia acri quae haud raro aegro tantam molestiam praebet, intestina liberare. Enemata laxantia alternanda sunt, si opus est.

Emetica, quae febribus communibus ineuntibus magnopere profuerunt, quia illam irritabilitatem ventriculi tam frequentem et adeo lethalem in hoc morbo excitarunt, exhibere non possumus. Ob eandem causam, praeparationes antimonii, tam saepe utiles repertas, utpote cutem solventes, omittere necesse est, quia doses harum minutissimae, nauseam et vomitum haud raro inducunt. Alia diaphoretica, nisi haustus, ex subcarbonate sodae et acido citrico confectus, qui jam effervescens bene vomitum consopit, nocent.

Summa cutis hac febre implicitis, non minus fere quam scarlatina oppressis incalescit. Hic ardor summam aegrotanti molestiam facessit. Optime ei succuritur remedio illo simplicissimo, et naturae convenientissimo, aqua frigida corpori affusa. Aqua non, nisi corpore ultra naturam calente, affundenda est. Si aeger inhorrescat, intermitti hoc auxilium debeat; sicuti vero praecepta de hac re Curreiana observemus, vix, aut ne nix quidem errabimus. Si rite et tempestive aqua adhibetur, febrem lenit, sitim aliqua ex parte restinguit, summum corpus refrigerat, cutis halitum elicit, et saepe dormire facit.

Nec solum extrinsecus aqua juvat admota. Admodum recreant et prosunt potus aciduli et gelidi; medici, sudorem alia ope nulla melius evocari, ardoremque corporis sedari testantur. Accedit ad haec, quod hujuscemodi potus, quo minus inflammetur ventriculus obstant, aut inflammationem, si jam subest, devincunt aut minuunt.

Si post exhibitionem remediorum supra dictorum, dolorem capitis parum cesserit, aut si de-

lirium adsit, emplastro meloës vesicatorii idem exulcerare oportebit. Hoc nonnunquam, dum alia spem fefellerunt, delirium et capitis dolorem minuit, somnosque refecturos conciliavit.

Hydrargyrum in systema, ut hoc plene et cito afficeretur, oportet injicere. Ad hoc consilium efficiendum, submurias, ratione duorum granorum secundis horis, exhibitus, utilissimus est. Hoc modo, metallum proxime ad partes morbosas admotum, et universo corpore, et partibus quibus applicatum fuit, prodesse, repertum est; et quoniam ventriculus fere irritabilis est, idem pilulae forma dandus est, cui semigranum opii jungi possit.

Quando vomitus assidue vexat, abnormem ventriculi actionem coercere debemus, frictionibus, opiatis ejus regioni, fotibus aut rubefacientibus eidem, ut cataplasmate sinapis, applicatis; et si non valeant, vesicatorium hypochondrio sinistro admovendum est: saepe granum unum opii solidi, pilulae forma, tertia vel quarta quaque hora, cum eventu felicissimo, exhibendum

est. Aqua supercarbonatis potassae vel sodae, ad nauseam sedandam, libere bibatur.

Contra singultum, opium cum ethere sulphurico conjunctum, etiam sinapis cataplasmata pedibus applicata, propria sunt. Urinae suppressio tollenda est clysmatibus, diureticis, sicuti spiritus etheris nitrosi, &c., et fotibus in vesicae regione.

Febre inclinante, vim vitae, quae semper est maxime prostrata, auxiliari necesse est. Hoc morbi stadio, cortex cinchonae officinalis, aromaticis conjunctus, sumendus, tali modo ut quam minime ventriculum gravet; singula ex eo praeparata experiendum, et id demum anteponendum, quod huic visceri melius convenire videatur. Amara, ut gentiana, aut calumba, aut quassia, pro re nata, porrigenda sint. Vinum, portiunculis subinde, hauriatur, et remedium est potentissimum ad vires reficiendas.

Potui inter haec aptissima sunt aqua acidis plantarum imbuta, aut cerevisiae tenues, aut fortiores; quippe quae viribus opitulantur, et putredini occurrunt.

Cibi facillimi concocti, et ii qui plurimum nutrimenti praebent, aegro dandi sunt; sed summa cura est adhibenda, ne aeger ex nisu quovis nimio injuriam susciperet. Potus, cibus et medicamenta parcissime atque idoneis intervallis, ei porrigenda sunt, quia haec, utcunque modice sumpta, ad vomitum inducendum proclivia sunt. Si hoc indicium, semper metuendum, nunc prodit, mortem haud procul abesse denunciat.

Per totum morbi decursum, quiete et absentia nimiae lucis opus est; et omnia, quae aegri metum, cui valde addictus est, excitarent vel augerent, ab adstantibus sedule cavenda sunt.

Inter convalescendum, exercitatio sub divo, viribus accommodata, citra fatigationem, ad validas functiones promovendas, maxime convenit.

FINIS.

25